17724
I Mag. St. Dr. P

Broscii Joannis: Νουθετικόν — ad Thomam Gębecium.

Cracoviae typis Caesarianis. a. 1626.

PANEG. et VITAE
Polon. 4°.
№ 230.

ΝΟΥΘΕΤΙΚΌΝ

# IOANNIS BROSCII
## CVRZELOVIENSIS

Doctoris Medicinæ, ordinarii Aſtrologi

ad

*THOMAM GĘBECIVM*
*Poſnanienſem primam lauream in Academia Cracouien: ſumentem.*

CRACOVIÆ,
Typis Cæſarianis.

BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLONICAE

177245 I

## ΝΟΥΘΕΤΙΚΌΝ.

Nunc ecce campus est patens industriæ
Iam proferendæ in publicum, si quid vales
Thoma feraci mente, si quid aut stylo.
Laboribus Dij cuncta vendunt: ocium
Cautus fuge: tibi vendica totos dies:
Perire tempus omne iudica quod haud
Studijs datur: nido in pigro decus & honor
Sedes suas non collocant. Nec blanda te
Siren voluptas auocet ab Apolline
Qui te coronat nunc virenti laurea,
Persiste tantum, plura dabit olim: iuuat
Seu nosse Veneres Suadæ & artes Tullij:

Seu tibi placet quærere recessus abditos
Sapientiæ quam docet Aristoteles modo
Prorsus stupendo; seu Platonis Atticam
Musam sequi, mens Socratis per quam patet:
Excelsa pectoris indoles nunquam solet
Humi morari, nititur per ardua
Adire culmen. hanc viam pressere, (quoscunq; patria tua protulit) magni viri.
Quantum decus Czepelius iuris fuit!
Placuisse summis si putas laudem, tribus
Pontificibus summis placuit: ut dena ter
Et bis quaterna proprio haberet præmia
Concessa motu: laudis hoc est maximæ.
An Struthius Machaonij studij decus

Te non mouebit? & Petrus? Rochus? chori &
Musarum alumni alij, scientes artium?
Hos tu sequi debes labore & moribus
Bonis, facultas dum dat integras tibi
Vires: tuæ patriæ decus sic adferes.
Nunquam sequaris qui putant Ventrem Deum
Deam Monetam: turpe semper iudica.
Sentire aliud, aliud loqui; mens subdola est
Inuisa Dijs: recte facere speciosius
Quam dicere putabis; sed vtrumq; excolas.
Hæc tibi meus dictauit amor: hæc si placet
Seruare casta mente, honores atq; opes
Tribuet Apollo: ipsa licet amplum præmium
Virtus sibi sit; semper hanc Thoma colas:

Facile

*Facile est, velis tantum, nam operis est velle pars:*
*Virtutis una, multiplex vitij via est.*
*Semper docuit hæc & docet Academia.*

## Ad eundem M. Gregorius Golinski.

*QVod tibi Gebeci radiantia sydera faustum*
*Esse gubernator sydereusq; velit.*
*Perge bonis auibus Patriæ protendere famam.*
*Posneadæ quondam quam peperere tui.*
*Lumina magna vides Posnensi à gente profecta.*
*De quibus accendit Sarmatis ora iubar.*
*Hæc tibi victuræ præbent fundamina laudis*
*Vsq; per innumeros constabilita viros.*

Nec

*Nec minus hic addat celsa ad fastigia calcar*
*Parnassi ad cliuum quo duce carpis iter.*
*Hoc tua vel demum clarere sub auspice virtus:*
*Hoc poterit nasci gloria magna tibi.*
*Quare Cecropiæ te totum trade Mineruæ*
*Et patriæ laudes tendere perge tuæ.*

Anno Dñi M. DC. XXVI.
VIII. Idus Octob.

BIBLIOTH: UNIV: JAGELLONICAE